Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



nitate nec clementia nec mansuetudine eius uincimur quem odimus. In
digne huic quod nec precipit. neque locum detis diabolo. illud de ecclastico. si spiritus
potestatem habentis ascenderit super te. locum ne dederis ei. Ille superbus
et temerarius uult ascendere uult subire. sed et iam si te obpressum puta
uerit et se extulerit. tu ne dederis locum. Potestas quippe diaboli non in
temeritate illius atque iactantia sed in tua est uoluntate. Qui furabatur iam
non furetur. magis autem laborem operando manibus suis quod bonum est. ut habeat
unde possit communicare ei qui indiget. Quia hi qui in uite istius negotiis conuersan
tur propter alimenta et usus necessarios coguntur aliqua uel emere uel uendere
et lucra de negotiatione sectari. et difficile est et iam eos qui a ceteris pas
sionibus liberi sunt fornicatione uidelicet et ydolatria adulterio et ho
micidio hoc uicio non teneri. propterea nec ephesios monet ne sub occa
sione emolumenti furti crimen incurrant furtum nominans
omne quod alterius damno queritur. iustum autem esse. ut manibus suis unusquisque
operans et uictum labore conquerens inpertiat non habentibus. Neque
uero ait. magis autem laborem operando manibus suis quod bonum est. ut non indi
geat habeat uictum et nulli molestiam exhibeat sed laboret inquit ma
nibus suis quod bonum est ut habeat unde communicet indigentibus. Qui igitur
adhoc tantum laborat ut ipse non egeat et a ceteris contrahat manum.
quamuis adplaudat sibi tamen apostoli precepta non fecit. Potest autem et altius
intellegi. qui furabatur iam non furetur et reliqua. propter illud quod scriptum est.
de pseudo prophetis qui furantur sermones unusquisque a proximo suo. et in euangelio.
omnes qui uenerunt ante me fures sunt et latrones. et ad romanos. qui predicas
non furandum furaris. quod furta prohibemur facere spiritalia. Neque enim hoc
quod sequitur magis autem laborem operando manibus suis quod bonum est. ad uite
huius necessaria digne referri potest ut bonum dicatur quodcumque peritu
rum est. et ad mammona iniquitatis pertinet. Quamuis enim iustus labore
opes habeat absque tergiuersatione quesitas satis habet si non dicantur
malum ceterum bonum non ualent appellari. Igitur operamur bonum qui
declinat a malo et facit bonum et operatur in agro anime sue ut spiritali
bus panibus impleatur et possit commodare esurienti et necessitatem
sustinenti dans in tempore cibaria conseruis suis. Si autem talis est